



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1675. usque ad annum 1681

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1780

VD18 90119207

§. 54. Initia conjurationis contra Angliæ Regem confictæ, nequissime
Catholicis imputatæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67305)

stituerint, necnon Catholicos oppres- ^{Sæc. XVII.}
 ferint, confictæ conjurationis commen- ^{A. C. 1677.}
 tum demonstrabit, cujus catastrophæ
 ad annum hujus sæculi octogesimum
 octavum recensebimus.

§. LIV.

*Initia conjurationis contra Angliæ
 Regem confictæ, & nequissime
 Catholicis imputatæ.*

Nil igitur opportunius aptiusque ad ^{Hode Hist.}
 arcendum Catholicum Regni hæ- ^{de Louis}
 redem necnon ad opprimendos Angliæ ^{XIX. t. 4.}
 Catholicos excogitari poterat, quam ^{lib. 39.}
 meditatæ in Regem conjurationis fa- ^{Relat. Tit.}
 bula, quam Titus Oates omnium, qui ^{Oates Con-}
 sunt, quive unquam fuere, mortalium ^{spirat.}
 nequissimus atque ab omni honestatis ^{d' Angl.}
 simulatione longe remotissimus homo
 hoc anno in Catholicos luserat. Hic
 Calvinianæ sectæ addictus variis arti-
 bus, ac simulata pietate tandem im-
 petrabat, ut a Londinensibus Ecclesiæ
 Anglicanæ Prædicantibus in ministerii
 societatem admissus, subinde exigui
 proventus Parochiis ad tempus præesse
 permetteretur, ubique tamen ob linguæ
 intemperantiam, libidinum, omnium-
 que scelerum maculas & præcipue ob
 crimen, quod nequidem inter Christia-
 nos nominaretur, adeo tristem nomi-
 nis

Sæc. XVII.

A. C. 1677.

*Abregé
Chron. de
l'Hist. Eccl.
tom. 13.*

*Calmet Hist.
Univ. t. 13.
Rapin Hist.
d'Angl. l. 23.
pag. 391.*

nis sui notam reliquerat, ut hoc anno ab animarum cura amotus, atque ab omnibus probis, honestisque Viris derelictus precario victum conquirere cogeretur. Hisce angustiis pressus, apud sibi similes nequitiae socios operam quæsit, brevique invenit in Israele Tongio, Viro erudito quidem, ad omnia tamen audenda proclivi, necnon in excogitandis nefandissimis consiliis admodum sæcundo. Hic ergo librata novi sui Discipuli indole, cum illum ad exequenda quævis detestanda molimina aptissimum censeret, se brevi illum fortunis cumulaturum pollicitus est, dummodo arctiorem cum Catholicis ac præcipue cum Jesuitis vitæ societatem quærere, atque eorum actiones, nomina, & officia exacte explorare vellet; harum enim rerum notitiis probe instructus, novæ conspirationis Historiam levi brachio conscribere posset, cujus ope, si periculosam ejusmodi conjurationem detegeret, abs dubio fœcundam auri fodinam sibi aperturus esset: Placuit hoc consilium Tito, qui pro suo ingenio ad omnes malitias & fingendi modos nato paucis posthac diebus ad Catholicos ejurata Calvinici secta transiit, & ut nonnulli referunt, Jesuita factus hoc anno Mense Majo Vallisoletum in Hispaniam profectus

fectus est, ibidem in Collegium Jesuitarum directioni commissum admissus. Sæc. XVII.
A.C. 1677.

Evolutis septem mensibus in Angliam reversus, dignissimus hic tanto Magistro discipulus, Tongio confictæ suæ conjurationis Historiam exhibuit, quam tamen hic nondum satis elaboratam ratus, Tito suasit, ut Audomaropolin in Belgio ad Jesuitarum Collegium pergeret: Paruit huic consilio, atque ibidem etiam integrum quidem semestre degebat, ob vitam tamen omni flagitiorum genere contaminatam, cum de ejus emendatione conclamatum esset, a Jesuitis dimissus est. Tum vero spirans ultionis, minarum & cædis in Jesuitas & Catholicos denuo Londinum ad Magistrum suum contendit, quocum etiam horrendam illius conspirationis in Regem a Jesuitis, Catholicis ipsoque Duce Eboracensi meditatæ, ac brevi, ut fingebat ipse, erupturæ Historiam confarcinavit, eamque typis edendam Basseto Bibliopolæ tradidit. Hic vero cum nonnisi male consutam esse fabulam cerneret, quædam delevit, alia vero substituit, quo comperto Titus apud plebejum Parlamenti Ordinem vehementer questus, anni sequentis die decima Aprilis ab eodem impetravit, ut perfecta ac integra Historia conjurationis, ac circumstantiarum

rum

Sæc. XVII. rum a se composita Parkhurstianis &
 A. C. 1677. Cocheillanis literis excuderetur, sub
hoc titulo, *vera relatio execrandæ con-*
spirationis a Papistis contra Regem, Ang-
licæ regimen & Protestantium religionem
conflatæ unacum complicum nominibus jussu
Parlamenti a Tito Oates Theologiæ Do-
ctore vulgata, Regique porrecta. Enim-
 vero vix unquam scriptum quoddam
 famosum pejus consarcinatum, insa-
 num, veroque minus simile publicam
 lucem aspexit, quam turpissimum hoc
 Titi commentum, cujus ipsa Historia,
 omnesque circumstantiæ soli & unico
 falsoque testimonio innitebantur ne-
 quissimorum duorum hominum, qui,
 quamvis innumeras complicum literas
 in manibus se tenere mentirentur, nun-
 quam tamen etiam interpellati vel ul-
 lum genuinum scriptum proferre po-
 terant: nihilominus tamen Calvinistæ
 tam opportunam in Catholicos Natio-
 nis Anglicæ odium concitandi, atque
 Eboracensem Ducem ab Angliæ throno
 excludendi occasionem haud negligens
 esse rati, rem serio agere, & Re-
 gis salutem ac vitam effuso etiam plu-
 rimum innoxiorum cruore tueri simula-
 bant. Cui autem vero simile videri
 potest, quod Catholici in Regem, quem
 tamen sibi valde indulgentem ac reli-
 gioni Catholicæ faventem noverant,

Sæc. XVII.
A. C. 1677.

amplioresque ab eo favores haud temere sperare poterant, sine omni causa, quam ipsimet iniquissimi hujus Fabulæ Architecti confingere obliti sunt, conspirare, eique vel ferro vel sclopeti ictu vel veneno (de mortis genere hi accusatores ipsimet non convenere) vitam adimere moliti fuerint, cum tamen sat prospectum haberent, quod mortuo hoc Rege, Calvinistæ excluso Eboracensi, Calvinianum Principem, a quo acerbiora adhuc, quam unquam passi essent, exspectarent, in solium intrusuri sint: Horrendæ hujus fabulæ falsitatem tot luculenta detegunt documenta, ut ipsimet Protestantes æquitatis magis studiosi mendax hoc commentum detestentur, proin Catholicorum innocentiam vindicare prorsus superfluum sit: *dum enim palam falsa sunt, quæ nobis objiciunt, negare satis est (*)*.

§. LV.

Confictæ hujus conjurationis capita.

Præcipuum hujus conjurationis Authorem Calvinianus hic rabula pro antiquo hæreticorum more fingebat Innocentium XI. summum Pontificem, *qua-*

(*) Quintil. lib. 5. cap. 13.